

gii ferendi gratia, sed super capita ordinandorum, ut constat ex Chrysost. hom. 10. in 1. ad Tim.

49. *Inst. 2.* Clerici inaugurantur ab Episcopis; at illa chirotonia, de qua Apostolus 1. ad Tim. 4., peracta fuit a presbyteris; ait enim Paulus: *per impositionem manuum presbyterii*; ergo ex impositione manuum facta Timotheo non inferitur sacramentum ordinis.

R. *Presbyterii* nomine hic intelligi Episcopos, non presbyteros: primum quia CHRYSOST. hom. 13. exponens citata Pauli verba inquit: *non de presbyteris hæc ait, sed de Episcopis; non enim presbyteri Episcopum ordinabant.* Deinde quia Paulus in altera epist. ait: *per impositionem manuum mearum.* Sed de hoc infra iterum dicemus.

50. *Inst. 3.* Nullo Scripturæ loco legitur, Christum instituisse manuum impositionem, aut ea usum fuisse, sive in ultima cæna, quando constituit Apostolos sacerdotes, sive cum insufflando dedit eis potestatem remittendi peccata; ergo, etc.

R. *N. Cons.* Christus enim citra sacramentalem actionem gratiam imperiri poterat, utpote præditus potestate, ut vocant, excellentiæ. At homines illa virtute carentes id peragere debent mediis et instrumentis a Christo institutis. Cæterum quod nonnulli ex Gregorio Nysseno referunt, nempe Gregorium Thaumaturgum tridui itinere distantem a Phaedimo Amasææ Episcopum in Neocæsareensem Antistitem fuisse ordinatum, non est ad rem. Phaedimus enim hortatu et precibus Gregorium detrectantem movit, ut episcopatum admitteret; *observatis tamen atque peractis, quæ fieri solent, legitimis sive solemnibus,* ut inquit GREGORIUS Nyss. orat. in Gregor. Neocæs. (opp. t. 2. p. 977. A.) Unde falsum est, solo voluntatis imperio creatos aliquando Episcopos fuisse.

51. *Obj. II.* Gratia sacramentis promissa est gratia sanctificans, seu *gratum faciens*, non *gratis data*; sed gratia, de qua citatis locis commemorat Paulus, est gratia gratis data; nam gratia ibi collata non *χάρις* dicitur, sed *χάρισμα*, quo nomine 1. ad Cor. 12. designantur, gratia sanitatum, discretio spirituum, aliaque dona, quæ eo loci *διαρέσεις χαρισμάτων divisiones gratiarum* dicuntur. Accedit, quod Apostolus affirmet gratiam illam datam esse per *prophetiam*, h. e. ad donum prophetiæ. Unde Hieronymus in cap. 4. primæ ad Tim. gratiam hanc explicat de dono vel interpretandi Scripturas, vel futura prædicendi; Chrysostomus vero hom. 13. in eundem locum, de auctoritate alios docendi.

R. *D. min.* Gratia ab Apostolo commemorata erat sola gratia gratis data *N.* conjuncta cum gratia sanctificante *C. min.* Ratio distinctionis ex ipso contextu petitur, cum Apostolus 2. ad Tim. 1. e vestigio subjungat: *Non dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis et dilectionis,* quæ sane gratiæ sanctificantis signa sunt ac proprietates. Nec obstat, quod Apostolus utatur vocabulo *χάρισμα*, non *χάρις*; utriusque enim eadem vis est apud Græcos; et Paulus ipse ad Rom. 5. v. 13. gratiam justificationis aperte vocat *χάρισμα*, sed non ut delictum, ita et donum, *ὄρω καὶ τὸ χάρισμα.* Imo 1. ad Cor. cap. 12. variis gratiarum generibus enumeratis, inquit: *emulamini autem*

charismata meliora. Quis vero credat Apostolum hortari nos ad æmulationem virtutum et signorum, et non potius sanctitatis et charitatis, qua seclusa gratiæ gratis datæ non sine argumento superbiæ postularentur.

Non minus ineptum est argumentum, quod Novatores petunt ex illis verbis, *per prophetiam*: hæc etenim nequaquam significant donum vaticinandi Timotheo tunc collatum, sed eum peculiari Spiritus sancti jussione aut revelatione fuisse inauguratum Episcopum, quod manifeste ostendit B. Paulus c. 1. v. 18. ita scribens: *Hoc præceptum commendo tibi, fili Timothee, secundum præcedentes in te prophetias, ut milites in illis bonam militiam.* Atque huic interpretationi ipse Calvinus comment. in dict. loc. subscribit. Quanquam si legeretur etiam *ad prophetiam*, nihil nos urgeret. Fateamur enim, primis illis temporibus ad fidei primordia dilatanda ac commendanda una cum gratia sanctificante collatas fuisse gratias, quas gratis datas vocamus.

Quapropter de his etiam ceu notioribus et insignioribus donis Patres supra laudati meminerunt, quin tamen hi, aut sacræ paginæ excludant gratiam sanctificantem. Nam S. CHRYSOSTOMUS hom. 1. in 2. ad Tim. explicans illa verba (opp. t. 11. p. 661. C.): *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei,* etc. inquit: *Hoc est, gratiam Spiritus, quam accepisti ad Ecclesiæ institutionem, et ad omne religionis obsequium; quippe in nobis est hanc vel extinguere vel excitare.* Postea vero demonstrat gratiam, quæ extinguitur, esse gratiam adoptionis, et charitatis, qua clamamus: *Abba Pater.* Videantur ulterius, quæ in Tract. præcedente de Eucharistiæ consecrandæ ministro dicta sunt.

ARTICULUS II.

DE ORDINUM ECCLESIASTICORUM NUMERO PERTRACTATUR.

52. *Nota.* Duplex hic movetur quæstio, 1º. an admittendæ sint variæ ordinum species, quas Concilium Tridentinum Sess. 23. cap. 2. enumerat. Rejiciunt enim eas Novatores, quos inter Calvinus cæteris impudentior L. 4. Instit. c. 19. minores ordines vocat *sacramentula*, ait ex turba illa minorum pullulasse subdiaconatum, nec usquam alibi de septem ordinibus, quam apud *ineptos istos rabulas Sorbonistas et Canonistas legi.*

2º. Disceptatur, an Græci eundem nobiscum ordinum numerum admittant. Recentiorum enim complures asserunt quatuor duntaxat a Græcis ordines numerari ac conferri, scilicet *Presbyteri, Diaconi, Hypodiaconi et Lectoris*, quinque autem, si ordinibus *Episcopatum* accenseas. Ita Morinus de sacr. ord. part. 3. Exercit. 1. c. 2. Martene L. 1. de Antiq. ritibus. c. 8. art. 1. Natalis Alex. de Ord. art. 4. c. 1. Tournely de sacram. Ord. q. 6. Witassius et alii.

53. *Dico I.* Septem ab initio ad hæc usque tempora apud Latinos obtinuerunt ordines, nempe Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Acolythy, Exorcistæ, Lectoris, Ostiarii.

Prob. I. Ex summis Pontificibus. CORNELIUS Papa seculo tertio in epistola ad Fabium Antiochenum (apud Eusebium L. 6. Hist. c. 43.) testatur, v. p. 2.

fuisse id temporis Romæ *Presbyteros quadraginta quatuor, Diaconos septem, totidem Subdiaconos, Acolythos quadraginta duos, Exorcistas et Lectores cum Ostiariis quadraginta duos*. CAIUS item Rom. Pontifex eodem seculo constituit, ne per saltum clerici promoverentur, nec aliquis esset Episcopus, nisi prius esset *Ostiarius, Lector, Exorcista, Sequens, Subdiaconus, Diaconus, Presbyter*. (ex L. pontificali Damasi papæ. apud Labbe t. 1. p. 923. E.) Recensentur iidem ordines in epistola GELASI ad Episcopos Lucaniæ exarata an. 494. de qua etiam in Decreto dist. 77. can. *Si quis* et can. *Monachus*.

Prob. II. Ex Conciliis. Carthaginense IV. celebratum an. 398. expressam mentionem facit septem illorum ordinum a canone secundo usque ad nonum (Labbe t. 2. p. 1199-1200.). Eisdem commemorat Concilium Aquisgranense an. 816. (ibid. t. 7. p. 1313. et seqq.) L. 1. de Instit. Clericorum, Florentinum in decreto Unionis de singulis ordinibus pertractat. Tridentinum denique Sess. 23. can. 2. ita statuit: *Si quis dixerit præter Sacerdotium non esse in Ecclesia Catholica alios ordines et majores et minores, per quos velut per gradus quosdam in Sacerdotium tendatur; anathema sit*. Hoc canone non determinat quidem, nec figit, quis sit illorum ordinum numerus; at cap. 2. ejusdem Sess. rem paulo amplius evolvit, cum recensens septem illos ordines ait, eorum *ab ipso Ecclesiæ initio nomina atque propria ministeria in usu fuisse*. Accedit unanimis hac super re scriptorum Ecclesiasticorum consensus, Isidori Hispal. L. 7. Etymologiarum c. 12. Rabani L. 1. de institutione Clericorum c. 6. et seqq. Amalarii L. 2. de officiis Eccles. c. 7. et seqq. Hugonis Victor. L. 2. de Sacramentis p. 3. c. 5. Magistri sent. in 4. Dist. 24. apud Bellarm. L. de Clericis c. 11. Neque hæc Romanæ Ecclesiæ doctrina everti potest institutis ritibusque Ecclesiæ græcæ, ut mox ostendemus.

54. *Dico II.* Septem pariter in antiqua saltem Græcorum Ecclesia ordines fuere. Est contra Theologos supra laudatos, asserentes gradus Acolythi, Exorcistæ, et Ostiarii nunquam apud Græcos obtinuisse.

Prob. S. DIONYSIUS, seu auctor operis de Hierarchia Eccles. c. 3. (opp. t. 1. p. 187. D.) de Ostiariis ita scribit: *Ministorum hi quidem ad januas templi clausas consistunt; ceteri autem aliud quid proprii muneris exequuntur*. S. IGNATIUS martyr in epistola ad Antiochenos, *Saluto*, inquit, *sanctum presbyterium, saluto sacros Diaconos, saluto Subdiaconos, Lectores, Cantores, Ostiarios, Laborantes, Exorcistas*.

Nec dicant adversarii, hæc SS. Dionysii et Ignatii scripta inter spuria et supposititia amandari. Nam hoc cum Bellarmino L. de Script. Eccl. alii viri doctissimi negant. Deinde etsi istud largiremur, ex iis tamen scriptis, cum non sint factus posterioris ætatis, perspicuum est non deesse Græcos, qui præter Lectoratum alios ordines minores agnoscent. Præterea Synodus Laodicena can. 24. (Labbe t. 1. p. 1502. A.) *Non oportet, inquit, sacros a Presbyteris usque ad Diaconos, et deinceps quemlibet Ecclesiastici ordinis, usque ad Ministros, vel Lectores, vel Cantores, vel Exorcistas, vel Ostiarios, vel Exercitatorum ordinis in cauponam ingredi*. EPIPHANIUS quoque in Exposit. fidei cap. 21. (opp. t. 1. p. 1104. C.) Ecclesiasticis ministris *Exorcistas et Janitores* annumerat. Invenimus ergo apud Græcos præter Lectoratum alios quoque ordines minores.

Dixi: *in antiqua saltem Græcorum Ecclesia*. Non enim diffitemur, Græcos successu temporis a veteri more recessisse, quod et in ipsis reprehendit INNOCENTIUS IV. epistola ad OTHONEM Tusculanum Cardinalem Sedis Apostolicæ in Cypro legatum (Labbe t. 11. p. 614. n. 19.). Quanquam dici potest, solum Exorcistatum a Græcis recentioribus negligi, Acolythatum vero et Ostiariatatum simul cum Subdiaconatu conferri. Colligitur hoc 1º. ex formula in ipsa Subdiaconi inauguratione a Græcis usurpari solita, in qua præter alia verba hæc leguntur: *Ipse Domine, conserva illum in omnibus sine querela et reprehensione: da illi amare honestatem et decorem domus tuæ, assistere portis templi sancti tui, et accendere lumen tabernaculi gloriæ tuæ*. Morinus de Sacris Ordinat. part. 2. pag. 84. Conficitur 2º. ex constit. BENEDICTI XIV. *Etsi Pastoralis* super ritibus Græcorum, ubi Pontifex ait, quod clericus Græcus *per Subdiaconatum græco ritu collatum, Acolythatum et Ostiariatatum recepisse censeatur*. Igitur revera hi ordines existunt apud Græcos, quamvis seorsim non conferantur.

55. *Obj. I. contra Assert. 1ºm.* Dionysius c. 5. Hierarch. Eccl., Hieronymus in cap. 49. Isaiaæ, Optatus L. 2. de schismate Donastist. n. 14. tres duntaxat ordines recensent, Pontificum, Presbyterorum, et Diaconorum; ergo perperam septem a Catholicis statuuntur. Ita Calvinus et Kemnitius.

R. Iidem Patres aliorum quoque ordinum meminerunt: de Dionysio constat ex dictis supra. S. Hieronymus commemorat Subdiaconos in epist. 91. (al. 102. ad Augustinum.), Acolythos ac Lectores in epist. 2. (al. 52. n. 5.) ad Nepotianum, Exorcistas denique et Ostiarios in Commentario cap. 2. epist. ad Titum. Optatus loc. cit. Ecclesiæ ministros generali appellatione commemorat. Unde *D. Ant.* Patres illi tres tantum ordines recensent, relate ad suum propositum C. excludendo cæteros N. Dionysii (si tamen is auctor est istius operis) scopus erat exponere, non numerum ordinum, sed hierarchiarum, quæ quidem tres sunt, prima Pontificum, Sacerdotum altera, tertia Diaconorum. Diaconi enim, tametsi comparati ad Sacerdotes, ministri dicantur et sint; attamen præsules etiam sunt, si comparentur ad plebem, ideoque et hierarchæ dicuntur. At inferiores ordines non præsent populis, sed Diaconis et Sacerdotibus ministrant. S. Hieronymus eo loci non loquitur de ordinibus clericorum, sed christianorum: hinc primo loco clericos, deinde laicos, quos fideles vocat, ultimo catechumenos, velut in Ecclesiæ vestibulo, collocat. Ex clericis autem tres duntaxat nominat, quibus tamen comprehenduntur reliqui, quos aliis in locis distincte commemorat. Porro si qui Patres ac Theologi veteres duorum tantum ordinum meminerunt, Presbyteri scilicet et Diaconi, ideo fecerunt, quod horum ministerium proxime spectet ad Eucharistiam, quam Sacerdotes consecrant, Diaconi vero olim sub specie vini ministrabant.

56. *Inst. 1.* Admissis semel ordinibus aliis præter Sacerdotium et Diaconatum, necessum erit adstruere plures, quam septem. Nam apud veteres etiam *Psalmistæ* seu *Cantores*, et *Fossarii* seu *Laborantes*, qui defunctorum corpora humabant, connumerantur; ergo.

R. N. *Assert. Prob. D.* Connumerantur isti tanquam ordines Ecclesiastici N. tanquam officia Ecclesiasticorum C. Apud latinos Psaltæ quandoque

erant ii, qui citra ullam initiationem clericalem fungebantur officio cantorum, uti constat ex can. 10. Concilii Carthag. IV. jam citati, tibi: *Psalmista, id est, Cantor potest absque scientia Episcopi, sola jussione Presbyteri officium suscipere cantandi, dicente sibi Presbytero: vide, ut quod ore cantas, corde credas; et quod corde credis, operibus comprobas.* Aliquando etiam *Psalmistarum* nomine intelliguntur ii, qui sola tonsura initiati ad psallendum in choro admittuntur cum aliis clericis, ut colligitur ex cap. *Cum inter*, Extra. de re judic. Apud Græcos vero Lectorum Cantorumque idem censetur ordo. Concilium enim Laodicenum can. 15. statuit, *non licere præter canonicos psaltes, id est, qui regulariter cantores existunt, quique pulpitem ascendunt, et de codice legunt, alium quemlibet in Ecclesia psallere.* Qui autem e suggestu legebant, erant Lectores: igitur horum nomine *Psalta* comprehenduntur.

Idem dicendum de *Fossoribus*, qui non alia de causa clericorum nomine interdum cohonestantur, nisi quia iisdem clericis id negotii dabatur, ut mortuos tumulo mandarent: quod præsertim in sepultura martyrum servatum fuisse, extra controversiam est. Porro *Fossarios*, qui et *Copiatæ* dicebantur, veros non fuisse clericos, ex eo constat, quod in codice Theodosiano L. 12. de Episc. asseratur, occupatos defunctorum obsequiis *clericorum vocabula* sibi usurpare, ideoque non esse in aliquo clericali ordine constitutos.

57. *Inst. 2.* Episcopatus est ordo a presbyteratu distinctus: pariter prima tonsura *c.* *Cum contingat*, de ætate et qualit. præficiendorum, ordo clericalis vocatur. Plures ergo sunt ordines, quam septem.

Ad 1^{um}. R. D. Episcopatus præcise seu incomplete spectatus, est ordo a presbyteratu simplici distinctus C. Episcopatus complete sumptus N. Cum dicimus septem esse ordines, Sacerdotium, etc. ordo Sacerdotum accipitur, prout Presbyteratum simul et Episcopatum complectitur, quoniam ex utroque efflorescit unum Sacerdotium atque perficitur. Unde Episcopatus a Sacerdotio complete spectato inadæquate tantum distinguitur. Ex quo et illud consequitur, quamvis Presbyteratus sine præviis ordinibus aliis valeat, Episcopatum tamen sine Sacerdotio minime valere.

Ad 2^{um}. R. Tonsuram non esse ordinem in pressiore significatione acceptum, sed, ut ait Catechismus Rom. p. 2. c. 7. §. 13. *quamdam præparationem ad ordines suscipiendos: ut enim homines ad baptismum exorcismis, ad matrimonium sponsalibus præparari solent: ita cum tonso capillo Deo dicantur, tanquam aditus ad ordinis sacramentum illis aperitur.* Nulla quoque spiritualis potestas per tonsuram clericalem initiatis confertur, sed hi deputantur duntaxat ad vacandum præ cæteris divino cultui, psallendo præcipue, quod quidem munus ad Eucharistiam peculiari titulo non pertinet, quemadmodum de *psalmistatu*, quem eundem cum *tonsura* esse ordinem adversarii contendunt, paulo ante ex Concilio Carthag. IV. docuimus. Quare ordinis clericalis nomine, quod usurpatur cit. c. *Cum contingat*, intelligitur status, quo clerici præminent laicis. Præterea eo loci cum tonsura etiam alii minores ordines comprehenduntur; refertur quoque canon 14. Synodi VII. (Lab. t. 7. p. 607. D.) quo statuitur, Lectores ab Abbate in proprio monasterio ordinari posse, ideoque cit. capituli sensus esse potest, tonsura et minoribus ordinibus initiationem revera esse clericum, revera ordinatum.

Non minus infirmum est, quod ex Constit. Sixti V. quæ incipit: *Sanctum et salutare* proferunt de eorum *degradatione*, qui tonsura sunt initiati, ac de *charactere clericali*, quo tonsurati dicuntur insigniri. Liqueat enim, *degradatione* initiationem non dejici ab ordine, prout sacramentum et character est, sed ab officio, habitu et privilegiis arceri, et ad laicorum conditionem redigi. Nomine autem characteris, qui in eadem Bulla tonsuralis tribuitur, non animi habitudo denotatur, sed exterior nota commode intelligi potest.

Cæterum animadvertendum est, hoc unum a Concilio Trid. adversus Novatores fuisse definitum, nempe ordinem esse verum novæ Legis sacramentum, ac septem esse ordines ab Ecclesiæ incunabulis ad hæc usque tempora usitatos, per quos ad sacerdotium rite ascendatur. Utrum vero septem tantum sint ordines, hoc non est de fide. Unde Concilium Trid. non dixit esse septem tantum ordines, quemadmodum definivit esse septem tantum novæ Legis sacramenta.

58. *Obj. II. contra Assert. 2^{um}.* In nullis Græcorum Ritualibus mentio aliqua Acolythorum, Exorcistarum et Ostiariorum reperitur: atqui credi vix potest, illos ordines, si revera apud Græcos aliquando obtinuissent, iis in libris fuisse prætermisissos; ergo.

R. N. *min.* Cum enim ex productis supra Græcorum veterum monumentis perspicuum sit, alia præter Lectorum munia a principio extitisse; merito creditur, ea successu temporis in desuetudinem abiisse, clericosque in compluribus Orientalium Ecclesiis per saltum, ut aiunt, fuisse promotos, ut fortasse ante Cornelii Papæ tempora etiam in Ecclesia Rom. aliquando agebatur. Roboratur hæc responsio ex eo, quod Gabriel Philadelphensis apud Morinum part. 2. pag. 202. de ordinibus scribit: *Septem sunt ordines Sacerdotii. Primus est Janitorum et Acolythorum; secundus Exorcistarum; tertius Lectoris; quartus Subdiaconorum; quintus sacrorum Diaconorum; sextus Sacerdotum; septimus principum Sacerdotum seu Episcoporum. Hunc numerum antiquum esse in Ecclesia testatur S. martyr Ignatius in epistolis suis.* Ubi nota in septenario ordinum numero comprehendi quidem Episcopos, sed Janitores et Acolythos simul conjungi.

59. *Inst. 1.* Concilium generale VIII. act. 10. can. 5. (Lab. t. 8. p. 1371.) declarans non alium ad episcopatus honorem evehi debere, quam qui *per omnes gradus Ecclesiasticos* definitis temporibus prius transiisset, quatuor duntaxat gradus ordinum appellat. Huic canoni consentiens JOANNES VIII. S. Pontifex, in sua epistola ad Imperatorem Basilium data, volumus, inquit (Lab. t. 9. p. 132. D.), *quod nec præpropere contra canones ecclesiasticos, decretaque majorum cito quilibet lector, cito acolythus* (pro subdiacono acolythus hic ponitur), *cito diaconus, cito sacerdos vel episcopus fiat.* Ergo Græci præter lectoratum alios minores ordines non conferebant.

R. 1^o. N. *Conseq.* Ob rationem in obj. allatam.

R. 2^o. D. *Cons.* Præter lectoratum alios minores ordines non conferebant seorsim seu separatis ordinationibus C. conjunctim cum ordinibus aliis N. Ordines acolythatus et ostiariatus una cum subdiaconatu apud Orientales conferri supra demonstravimus, atque ipsa adversariorum consensione firmatur. Fatentur enim Joannem VIII. qui nobis objicitur, acolythi nomine

significasse subdiaconum, cui, ut Morinus ipse advertit part. 3. Exercit. 14. c. 1. n. 6. *Græci ea prope omnia officia, quæ Acolythi suis Latini tribuunt.* Quod ergo Joannes Pontifex probans Synodi VIII. canonem, ordines proprio nomine non distinguat, ratio est, quia acolythatus et ostiariatus simul cum hypodiaconatu conferuntur a Græcis, neque Pontifex exigit sejunctas ac distinctas initiationes; quas tamen a Græcis aliis Latinorum ditioni subjectis seculo XIII. servandas præcipit Innocentius IV. Porro exorcistatum a recentioribus neglectum fatemur; ab aliis tamen Orientalibus tribui solitum constat ex Gabriele Philadelphiensi supra relato.

60. *Inst. 2.* Ostiarii, Exorcistæ, et Acolythi, qui a vetustis illis scriptoribus memorantur, non sunt veri, ac proprie dicti ordines, ex aliqua scilicet vera *ordinatione*, sed officia quædam ex *commissione* in templis exerceri solita absque peculiari initiatione: patet ex eo, quod in laudatis scriptorum istorum testimoniis aliquis ex receptis ab Ecclesia Romana ordinibus prætermittatur, aliquis insuper addatur; ergo.

R. N. *Ant.* Nam quod ad *Ostiarium* attinet, is in canone Trullano 4. (Lab. t. 6. p. 1144. C.) aperte secernitur a laico, et in ordine Ecclesiastico constituitur. Hoc enim canone statuitur, ut, si quis Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel Subdiaconus, vel Lector, vel *Ostiarus* mulieri Deo dicatæ vitium attulerit, deponatur; *sin autem laicus, segregetur.* Exorcistam vero peculiari ordinatione non minus, ac lectorem et hypodiaconum apud Græcos initiari, apertum est ex can. 10. Synodi Antiochenæ an. 341. (Lab. t. 2. p. 366. D.) ubi Chorepiscopis permittitur, ut *ordinent Lectores et Subdiaconos, et Exorcistas.* Denique *Acolythi* ordinationem *Χειροθεσίαν* appellat Simeon Thessalonicens. L. de sacris ordinat. cap. 1. apud Morinum part. 2. pag. 129. Quid præter impositionem manuum, et verborum formam, quæ pariter in græca ordinatione Acolythi reperitur, ultra ad ordinem proprie dictum exigas? quid aliud præcipiunt Græcorum Euchologia in ordinatione Lectoris? Queritur præterea Simeon Thessalonic. hanc *Ceroferi* ordinationem sua ætate cessasse, quæ tamen, ut ait, *vigebat ante paucum tempus in Thessalonicensi Ecclesia, et in antiquis formulariis describitur.* Atqui munus deferendi cereos in Ecclesiis Græcorum nunquam fuit abolitum: igitur ægrefert Simeon ritum *ordinationis* fuisse neglectum. Cæterum ex quo scriptores Græci non omnes distincte ordines recensent, minime sequitur, eos, qui alicubi prætermittuntur, ex ordinum numero esse expungendos; neque enim necesse est, ut, ubicumque de ordinibus sermo est, singillatim omnes enumerentur, quod et adversarii de ordinationibus Latinorum fateri debent.

ARTICULUS III.

DE QUATUOR ORDINIBUS MINORIBUS.

61. *Nota I.* Ordines distinguuntur in *maiores et sacros*, hoc est, per quos datur jus propius ad altare accedendi, sacra peragendi, aut presbyteris rem divinam peragentibus proxime assistendi; et in *minores* seu non sacros, id est, qui non ita prope ad Eucharistiam accedunt. *Ordo dicitur sacer*, inquit

S. THOMAS in 4. Dist. 24. q. 2. a. 1. q. 3. *qui habet aliquem actum circa rem aliquam consecratam: et sic sunt tantum tres ordines sacri, scilicet sacerdos et diaconus, qui habent actum circa corpus Christi et sanguinem consecratum, et subdiaconus, qui habet actum circa vasa consecrata: et ideo etiam eis continentia indicitur, ut sancti et mundi sint, qui sancta tractant.* Quatuor igitur sunt minores ordines, Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus et Acolythatus. De quibus hic agere instituimus.

62. *Nota II.* *Ostiarii* munus est aperire et claudere templorum fores, res, quæ in Ecclesiis servantur, custodire, arcere infideles et excommunicatos, vel ausu quodam templum ingressos ejicere, præsertim dum sacra celebrantur, et juxta Pontificale Romanum, aperire librum ei, qui prædicat. *Lectoris* officium est legere clara distinctaque voce libros novi veterisque Testamenti, cantare lectiones, benedicere panem ac novos terræ fructus. Nonnulli dixere, huic ordini alligatum olim fuisse ministerium concionandi, eo quod in Pontificali Rom. habeatur, *Lectorem oportere legere ea, quæ prædicat, et lectiones cantare.* At *prædicare* hic aliud nihil sonat, quam alta claraque voce e suggestu publice legere, nisi fortasse hujusmodi prædicatio ad rudimenta fidei, quæ aliis explicet, revocetur; hoc enim ad Lectorem spectare asserit Catechismus Rom. de Sacram. Ord. n. 16. *Exorcistæ* præcipuum munus est ejicere daemones ex obsessis corporibus: fundit præterea aquam in baptismi ministerio, monetque, ut, qui sacram synaxin non sumunt, cæteris sumpturis locum cedant. Ad *Acolythos* denique (quorum nomen idem sonat ac *pedissequus* a verbo *ἀκολουθεῖω*, sequor) pertinet ceroferarium ferre, luminaria Ecclesiæ accendere, et aquam ad Eucharistiam ministrare. Videatur Pontificale Romanum.

At difficilior restat controversia, an minores ordines sint sacramenta proprie dicta. Negant cum nonnullis veteribus complures recentiores: Morinus part. 3. Exercit. 11., Juenin. q. 7. c. 1., Lud. Habert. part. 1. de Ord. c. 6., Tournely q. 6. art. 5., Witassius q. 3. art. 1. aliique ex Sorbonicis. Affirmant cum S. Thoma Thomistæ fere omnes, cum Scoto Scotistæ. Idem sentiunt Paludanus, Richardus, Victoria, Sylvius, et veteres Scholastici omnes, perpaucis exceptis, ex recentioribus vero gravissimi quique, ut testatur Bellarminus, qui et ipse sententiæ affirmanti subscribit, sic tamen, ut eam intra probabilitatis fines contineri fateatur.

63. *Dico I.* Probabilis est sententia negans quatuor minores ordines esse sacramenta.

Argumentum I. hujus opinionis est, quod nullus ex antiquis asserat, eos ordines esse institutionis divinæ. Non igitur assurgunt ad dignitatem sacramenti.

Argum. II. URBANUS Papa II. in concilio Beneventano apud Yvonem Carnotensem Decreti part. 3. cap. 72. inquit: *Ordines sacros dicimus Diaconatum et Presbyteratum. Hos si quidem solos primitiva legitur Ecclesia habuisse: super his solis præceptum apostolicum habemus.* Ergo.

Argum. III. Minores ordines nec semper iidem nec eodem numero habiti sunt: nonnulli enim extitere olim, qui jam plane desierunt, ut Psalmistarum, etc. Ecclesia autem græca nullum ordinem inferiorem præter Lecto-